

7. - 590-591, ante gennaio. *Gregorio I papa a Severo, vescovo di Aquileia.*

FONTE: Beati Gregorii papae epistulae ex registro, I, 166.
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, I, 16.

Gregorius Severo episcopo Aquileiensi. - Sicut gradientem per avia, carpentem denuo rectum tramitem, tota Dominus aviditate complectitur, ita demum de deserente cognitam veritatis viam maiori merore quam gaudio, quo de convertente laetatus fuerat, contristatur; quia minoris excessus est veritatem non cognoscere, quam in eadem agnita non manere. Aliudque est quod ab errante committitur, aliud quod per scientiam perpetratur. Et nos siquidem, quantum reincorporatum te iam pridem fuisse in unitatem Ecclesiae gravisi fueramur, abundantius nunc dissociatum a catholica societate confundimur. Pro qua re imminente latore praesentium iuxta christianissimi et serenissimi rerum domini iussionem ad beati Petri apostoli limina cum tuis sequacibus venire te volumus, ut, auctore Deo, aggregata synodo, de ea, quae inter vos vertitur, dubietate iudicetur.

8. - 590-91, ante gennaio. *Suggestio episcoporum aquileiensiium ad Mauritium imper.* (Atti della sinodo di Marano).

FONTE: Baronii, *Annales eccl.*, ad. a. 590, n. XXVIII; Harduini, *Acta Conciliorum*, III, 524 (dal perduto codice parigino).
EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, I, 17 sgg.

Suggestendum domino nostro clementissimo ac piis-
simo domno Mauricio Tiberio humiles Venetiarum vel
secundae Retiae Ingenuinus, Maxentius, Agnellus, Fon-
teius, Laurentius, Agnellus, Felix, Augustus, Iunior et
Horontius episcopi.

Pietatis vestrae est, clementissime dominator, preces
humilium sacerdotum imperiali dignatione suscipere, quod